

390

388

394

384

399

379

439

339

489

289

Ende

Anfang

375

et ficorum sunt per gyrum. Ipsa vero ecclesia, ut dixi, est subterranea nunc, quamvis olim non fuerit, ut patet intuenti parietes, (144 A) in quibus adhuc fenestrae sunt, sed sine lumine, quia pluviarum inundatio secum terram de monte trahens eam operuit, nec habet lumen, nisi in ejus orientali parte est apertura facta versus coelum, et per hoc foramen parum de lumine intrat, et solum unum ecclesiae angulum illustrat. Hoc foramen est superius muro et margine circumdate, ac si esset cisterna. Haec ecclesia, secundum Hieronymum in sermone de assumptione, est fabricata miro lapide tabulata, sed a parte aquilonari sepulchri non est marmore vestita, sed nuda ibi patet petra, de qua fuit monumentum excisum, et est alta testudinata, plura habens altaria. Sepulchrum vero Virginis stat in medio, et est domuncula, sicut monumentum Domini, et est magnifice decoratum, et lampadibus illustratum, plus quam dominicum sepulchrum. Habet autem duo ostiola: unum venit ab occidente e regione tumbae sacrae, quae in orientali parte stat, caput habens ad meridiem, et pedes ad aquilonem. Aliud ostiolum est ab aquilone, et per unum est ingressus, per aliud egressus, quod non est in sepulchro Domini. In ipso sepulchro leguntur etiam Missae, sicut in Domini monumento, et ego ipse plures in eo celebravi, et est locus celebrandi omnium Christianorum, cujuscumque ritus sint, nec est alicui appropriatus locus ille. Caetera vero altaria illius ecclesiae sunt ritibus aptata. Nam altare sepulchro proximum est Armenorum. Secundum sub umbrosa testudine est Georgicorum. Tertium sub fenestra in choro contra orientem est Graecorum. Quartum ad aquilonem in angulo est Latinorum. Quintum juxta primum gradum ascensionis est Indianorum. Et ibi est pretiosum sepulchrum de candido et polito marmore, in quo est sepulta venerabilis Begina Milecensis, quae hanc ecclesiam aedificavit. Ab utroque autem latere graduum sunt sepulchra ornata, et nonnulli dicunt, quod in uno sancta Anna, mater beatae Virginis, sit sepulta; in altero vero Joachim, pater ejus. In ipsa ecclesia est una profunda cisterna, habens frigidas et claras aquas, et illi, qui dicunt, quod torrens Cedron sub terra decursum suum habeat, dicunt, aquas illas esse de torrente de subtus fluente; et in hujus signum, quando quis

